



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 120. Gubernatoris inquisitio ad detegendos Sicarios.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.

A C. 1569.

„nentiaē vestræ securitatem attinet, o
 „mnem meam auctoritatem impende
 „re spondeo, ut nihil ultra ei timendum
 „sit, cum ejus vita mihi longe carior
 „sit, quam propria mea. „

§. CXX.

*Gubernatoris inquisitio ad detegendos
 Sicarios.*

Giuss. l. c.

ENIMVERO eadem hac nocte Gubernator promulgato edicto, indictaque mortis pœna præcepit, ut omnes, qui hujus attentatæ necis, vel illius Auctorum notitiam habuerint, saltem intra bidui spatium Magistratibus manifestent. Hæc postea declaratio promulgata, bisque reiterata fuit, urbisque portæ per duos integros dies occlusæ tenebantur, ut rei comprehendi possent: insuper Gubernatoris jussu nonnulli, qui in ædibus Archiepiscopali Palatio vicinis habitabant, capiebantur, & nihil intentatum relinquebatur, ut rei manifestari possent. Altera die Gubernator rursus Cardinalem visum ibat, ac cum eo prandium sumens nullum ex suis domesticis apud se retinebat, ut Borromæum de animi sui candore magis persuasum redderet. Postea Senatus, omnesque urbis Magistratus, ac cunctæ Ecclesiasticorum, & regularium communitates ipsum invisebant, & quantum

Sæcul. XVI.
A.C. 1569.

in ipsis esset, ad ulciscendam injuriam ei illatam eidem suam operam offerebant, quibus omnibus ipse cum singulari benignitate, ac gratitudinis testificatione grates rependebat, eisque significabat, quod nullam vindictam deposceret, sed omnibus lubenter ignosceret, totumque hoc negotium Dei iudicio committeret. Tam insolita, tamque Christiana animi magnitudo tantum effecerat, ut hujus sceleris Auctores aliquandiu occultati permanerent.

Sanctus Carolus ut pariter ob speciale patrocinium, quo per bonitatem divinam a tam manifesto periculo defendebatur, debitas Deo rependeret grates, publicam, ac communem decernebat supplicationem, cui omnes Mediolanenses Clerici intererant præter innumeram populi multitudinem, qui una omnes maximis laudibus Divinam Providentiam deprædicabant, eo quod modo tam prodigioso Deus ipsorum Pastorem conservare dignatus esset. Paulopost Sanctus Archipræsul Garignanum ad vicinum Carthusianorum cænobium se recepit, ut orationi vacans attentius ibidem cognoscere posset, quanta obsequia Deus ob singularem vitæ suæ protectionem ab eo deposceret, ubi perinde, ac si hucusque pro ejus gloria nihil laborasset, omnes reliquos vitæ suæ

Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Hh dies

Sæcul. XVI.
A.C. 1569.

dies ad Dei honorem, atque animarum salutem cum majori adhuc studio, quam hucusque ab eo factum, impendere decrevit, ut Deo redderet, quod jam secunda vice se a paterna ejus misericordia accepisse profitebatur.

§. CXXI.

*Cardinalis Borromæi epistola ad Plurimum
V. circa hoc periculum.*

Giuss. c. 23.
Ciacon. p.
894.

Postea circa hoc facinus, de quo mentionem fecimus, Archipræsul sequentem epistolam ad summum Pontificem dabat his verbis conceptam: Quod mihi ante tres dies accidit, Ormanetus exponet Sanctitati tuæ: id auribus tuis molestum erit, sed Domini Dei nostri misericordiam etiam indicabit, qua usus est in me, haud usitata ratione protegendo: neque id merito meo, qui nihil ejusmodi sum meritus, sed vel loci, officiique mei gratia, ut longius, quod mihi opus est, ad presentiam temporis spatium daret, aut cur aliis de causis, quæ nobis curiose investigandæ non sunt: est igitur hac in re peritius, unde læteris, quam molestiam capias: equidem Deo gratias ago, speroque non sine fructu hoc fore honoris, & Gloriam Divinæ. Sanctos pedes tuos osculor, & omnia bona precor.

§. CXXII.